



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Animalia quædam terrestria, quia ex putrefactione gignuntur. Cap. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

veritatis nescia sit quodammodo, Auerroes ad imperfectorum animalium generationem sufficere stellas censuit, vt mures, vesperiliones, & talpæ, non perinde homines, aut leones generentur. Et quotidiana nos videmus experientia multa progigni posse animalia è sinu terræ, & è putri materia. Et maiores nostri putantes omnia animalia à terra producta, eam vniuersi matrem nuncuparunt, Græci parum nomen immutantes Dimiteram dixerunt. Ouidius sub Pythonis fabula hanc generationem ex putrefactione elegantissime cecinit:

*Cætera diuersis tellus animalia formis  
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab igne  
Percauit Solis, coennum q̄, vaa q̄, paludes  
Innumere aëtu, fecunda q̄, semina rerum  
Viuaci nutrita solo, celi matris in aluo,  
Creuerunt, faciem q̄, aliquam cepere morando.  
Quippe vbi temperiem sumpserit, humor q̄, calor q̄,  
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.  
Cum q̄ sit ignis aqua pugna, vapor humidus omnes  
Res creat, & discors concordia fœtibus apta est.  
Ergo vbi diluuiò tellus lutulenta recenti  
Solibus aethereis, alto q̄, recanduit aëtu,  
Edidit innumeras spe. res: partim q̄, figuras  
Rettulit antiquas, partim noua monstra creatit. &c.*

*Animalia quadam terrestria, qua ex putrefactione  
gignuntur. CAP. II.*

**H**OC commune cum stirpibus animalia habent, quod alia semine, alia spontè Natura oriuntur, nullo cognationis semine antecedente, quoniam alia humo, aut stirpe putrescente fiunt, vt insecta, alia ex rore, qui frondibus insidet, vt erucæ, alia limo, vt testacea, alia ex animalibus ipsis, excrementisq; partiū gignuntur, vt pediculi. Nos aliqua è maioribus nostris descripta referemus, vt ea plane cognita, ex ijs noua procreare condiscamus. Et initio videamus,

*Mures quomodo ex putrefactione generentur.*  
Iuxta Thebaïdem Ægypti, tradit Diodorus, quum Nilus  
cessat

cessat inundatio, calefaciente Sole humum ab aqua madefactam, varijs in locis ex terræ hiatu murium oritur multitudo, qua ex re plurimum stupēt homines, quum videant quorundam anteriorem vsq; ad pectus, & priores pedes murium partem animatam moueri, posteriori nondum inchoata, sed informi. Plinius. Deturgente Nilo musculi reperiuntur inchoato opere genitalis aque, terræque, iam parte corporis viuentes, nouissima effigie tantum terrena. Sed Ælianus. Vt in Ægypto pluit perpauculis guttis, mures nasci solent, qui longè, lateque in aruis vagantes maxima calamitate mesles grassantes, eas succindunt, & manipulorū aceruos vastant. Itemque in Ponto euenit: sic multorum supplicationibus Deo factis auertuntur. Idem Macrobius, & Auicenna mures ex imbre ortos per coitum mirè excrecere dicit. Et ex putri materia, quæ in nauibus reperitur, copiosissimè mures produci, eosq; cocundo alios generare. Aristoteles mirum percepit ortum redundantis agrestis murium generis, locis enim compluribus agri tam inaudito modo oriri solēt, vt parum ex vniuerso frumēto relinquatur, tam cito absumitur, vt nonnulli mediocres agricolæ, quum pridie metendum statuerint, postridie manè cum messoribus accedentes ad segetem, absumptam inuenerint totam. Interitus autem minimè euenit ratione, paucis enim diebus omnino abolentur. Plinium latuit quonam modo illa multitudo repente occidat: nam nec exanimis reperiuntur, nec extant, qui murem hyeme in agro effoderint. Patrijs sedibus quosdam Italiæ populos incurisio agrestium murium expulit, ex Diodoro, Æliano. Cosas Ferruriæ ciuitatē mures destruxere. Plurimi ad Troadem peruenerunt, & iam inde fugauerunt accolas, Theophrastus, & Varro natrant, ex Gyaro insula incolas fugasse, sic de Heraclea Ponti, & de alijs traditur. Muro etiam modo generantur

*Rana ex putri puluere & imbre.*

Nascuntur enim conspersis tantum æstiuo imbre littorum, & itinerum puluerulentis arenis. Ælianus quum ex Italiæ Neapoli, Puteolos iter faceret, ranas prosp-

xit, quarum pars quæ ad caput pertinebat, repebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondū conformata, concretioni limosi humoris similis trāhebatur. Ouid.

--- *Et eodem corpore sepè*

*Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.*

Et alibi.

*Semina limus habet virides generantia ranas,*

*Et generat truncas pedibus:*

Tam facilis earum generatio est, & momentaria, vt etiam pluuisse ranis scriptum sit, & in coelo generatas. Ranis aliquādo pluuisse, author est Phylarchus apud Athenæum, Heraclides Lembus circa Dardaniam, & Pæoniam ranis pluuisse, atque tam copiosè, vt domus & viæ replerentur. Itaque primis diebus aliquot tum occisis ranis, tum domibus occlusis sustinebant incolæ, quum vero nihil proficerent, sed vasa replerentur, & vnà cum edulijs coctæ simul assæue reperirentur ranæ, nec aquis vti liceret, nec pedes in terra ponere propter coaceruatas ranas, regiones deseruerunt, ex Diodoro, & Eustathio. Aurharidæ, gens Thesprotica, ranis inchoatis, & imperfectis de coelo lapsis in alium locum demigrare coacti sunt. Sed maiori miraculo

*Rubetæ cæno, se ipsis, & menstruo fiunt.*

Rubetæ enim ex putredine, & corruptione nasci putatur. In Dariene prouincia noui orbis aer insaluberrimus, vtpote cœnosa, & paludibus fœtidis septa, imò vicus ipse palus est, vbi ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pauimenta domus, illicò bufones gignuntur, ex Petro Martyre. Sub fimo putrefacta anate bufonem generari testantur versus, qui circumferuntur.

*Bufones gigno putrida tellure sepulta,*

*Humores pluuij foriè quodambo sumus.*

Sed mulierum sanguine menstruo putrefacto difficile non esset rubetas generate: nam mulieres vnà cum fœtu humano hoc pecus cōficiunt, vt Cœlius Aurelianus, & Plâtearius nominant, sicut bufones, ranas, & lacertos, & ijs similia animalia, & mulieres Salernitanæ olim in principio conceptionis, & maximè quando fœtus

debet

debet viuificari, prædictum animal occidere nituntur  
 fisco apij, & portorum. Mulier recens nupta, quum o-  
 mnium opinione prægnans diceretur, loco foetus qua-  
 tuor animalia ranis similia peperit, & postea optimè  
 valuit, quod animal inter molæ genera numeratur. Pa-  
 racelsus ex serpente in plura frustra secato, & vitreo vase  
 sub fimo posito, quamplurimos vermes generari dixit,  
 qui sub fimo educati, nutritiq; quilibet magnitudine  
 serpentem exæquabit, sic ex vno centum possint gene-  
 rari, atq; vt de serpente dixit, de multis alijs fieri posse  
 non abnuit: quod verum esse non inficior, sed non eas-  
 dem serpentes generant. Sic etiam ex muliebri impuri-  
 tate scilicet menstruo, ac spermatis sanguine: eodè mo-  
 do basiliscum nasci, quem omnes qui viderint, morian-  
 tur, quod omnino falsum. Clarum est etiam posse

*Serpentes ex humana medulla, capillis menstruatis,  
 & equinis fetis nasci.*

Quod ex humano corpore nascantur, legitur in Hun-  
 garia iuxta fluuium Theisam accidisse, vt in multorum  
 hominum corporibus serpentes & lacerti naturalibus  
 similes nascerentur, vt circiter tria hominum millia sic  
 perijisse memorètur, Plinius peperisse ancillam serpen-  
 tem inter iniuria belli Marsiei retulit. Auicenna libro de  
 diluuijs, serpentes narrat ex mulieris præcipuè capillis  
 gigni, qui productiores, humidioresq; sunt natura. Idè  
 euenire videmus ex fetis iubarum equi, fluentiaquæ  
 expositis: nam paucis elapsis diebus se mouèdo, vitales  
 fuisse coniecimus: atq; ab amicis idem factitatum acce-  
 pimus. Ex humanis carnibus, & præsertim medulla ser-  
 pentes generari est omnibus in confesso. Ælianus ho-  
 minis mortui spinæ medullam putrescentè in serpen-  
 tem conuerti dixit, exoririq; seram, & serpere animan-  
 tem immanissimum ex mansuetissimo: atq; malorum  
 hominum spinas post è vita egressum talia monstra  
 parere. Ouidius ad id,

*Sunt qui, quum clauso putrefacta est spina sepulchro,*

*Mutari credant humanas angue medullas.*

Plinius anguem ex medulla hominis spinæ gigni à  
 multis accepit. Tractatur etiam à scriptoribus,

*Scorpio vt oriatur ex basilico.*

Florentinus Græcus ocimum mansum, & in Sole positum scorpiones generare dixit. Adiecit Plinius. Tritum ocimum si operiatur lapide, scorpionem gignere: commanducatumque & in Sole positum vermes afferre. Quinimmo tradunt aliqui, manipulo ocimi cum cancris decem marinis, vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id scorpiones à proximo omnes. Auicenna scribit amicum habuisse, vt diximus, qui mirabile scorpionem producendi secretum habebat. Galenus id negat, sed vitiosum esse succi, quæ res impulit quosdã, vt falsa de eo prodiderint, affirmantes ipsum paucis diebus scorpionem generare, si tritum in ollam inanem intromitteretur, & potissimum si quis quotidie ollam ad Solem calefecerit, verum id quidem falsum. Sed cancri corpus mirabiliter in scorpionem mutatur. At Plinius. Sole Cancri signum transeunte, & ipsorum, quum exanimati sint, corpus transfigurari in scorpiones narrantur in sicco Ouidius.

*Concaualitoreo si demas brachia cancro,  
Cetera supponas terrã, de parte sepulta,  
Scorpius exibat, caudãq; minabitur vnca.*

*Ephemerus in aceto nascitur.*

Ex Æliano, ac eiusmodi animalia idcirco ephemera appellari, quod id ætatis viuant, vt vno die vitæ cursum conficiant, ex fece vini acescentis vitam trahunt, aperto dolio, vt in lucẽ suscepta sunt, è vita excedunt. Hispanis fluuius apud Cimerium Bosphotum sub solstitio defert veluti folliculos, acinis maiores, quibus quadrupes volucres erumpunt, quod genus animalis in post meridianum vsque diei tempus viuit, & volat, mox descendente Sole, languet, donec decedente moriatur, vita non vltra diem vnum peracta, vt hemerobion, id est, diarium appellatum sit. Eodem modo.

*Pyrigonas in igne nasci.*

Tradit idem, & volucres bestiolas existere, appellatas eo modo, quod in igne viuant, alanturque, hucque & illuc volare. Hoc admirabilitatem facit, illud admirationem excitat,

excitat, quum extra ignem nutritium egrediuntur, & frigidum coelum attingunt, statim exeunt è vita, Est &

*Salamandra ortus ex aqua.*

Quum nil gignat, neq; ex eis genus masculinū, foeminumq; sicut neq; in anguillis omnibusque, quæ nec animal, nec ouum ex se generant, ex Plinio. Nunc præstantissimam generationem attingemus, quomodo

*Apes ex boue nascuntur.*

Ælianus genus bubulum multas habere commoditates dicit, & præter alias mortuum generosa quædam res, & dignitatis plena existimanda est, quod apes ex illius reliquijs nascantur, animalium speciosissimæ, fructumque utilissimum, & suauissimum homini comparantes. De eisdem Quidius:

*Non ne vides quacunq; mora, fluidoq; calcere*

*Corpora tabuerint, in parua animalia verti?*

*I quoq; delectos mactatos obrue tauros,*

*(Cognita res usu) de putri viscere passim*

*Florilega nascuntur apes.*

Florentinus Græcus hæc scribit. Iubas Rex Lybiorum facere apes lignea in arca docet. Democritus & Varro in humana lingua in domo faciendas esse tradunt, quod etiam melius existit. Modus hic est. Domus sit tibi alta decem cubitorum, latitudinis itidem cubitorū decem, & reliquis lateribus comparibus. Ingressus in ipsa formetur vnus, fenestræ quatuor, ab vnoquoque vna. In hac inducas bouem triginta mensium, carnosum, valde pinguem, faciasque astare ipsi iuuenes multos, qui ipsum fortiter verberent, & fustibus cæsum occidant, & simul cum carnibus ossa ipsa comminuentes, diligentem autem animaduersionem habeant, ne quid bouis eruentent: non enim ex sanguine apis generatur, & circa primas plagas non violenter ipsum irruant, statim vero obturetur omnis bouis meatus linteolis puris, ac tenuib. pice tinctis, veluti sunt oculi, nares, & os, & quæ à natura productæ sunt partes ad euacuationem necessariam. Deinde thymo substrato multo, boueque supino super ipsum reclinato, domum egrediantur, & sta-

tim ianuam, & fenestras luto denso oblinant, vt neque aeri, neque vento vllus aliquis ingressus, aut perspiratio pateat. Tertia autem hebdomade vndique domum adaperire oportet, & lumen, aeremque purum admittere, præterquam ex ea parte, vnde vehemens ventus irruat. Postquam autem materia perfrigerata, & ventum attraxisse sufficientem videris, rursus concludere oportet, & luto, vt prius, munire. Post vndecimum diem de nouo aperies, & inuenies domicilium apibus plenum, ac ruatim inter se coagmentatis, & nil ex boue, præter cornua, ossa, & pilos. Aiunt ex cerebro gigni reges, ex carnibus vero alias apes, ex medulla regem, præstare tamen cæteris ex cerebro natos magnitudine, pulchritudine, & colore. In prima enim apertione carnem in animalia transformata reperies, parua, & alba, specie inter se similia, sed non perfecta circa vitulum multiplicata, immobilia quidem omnia, paulatim vero augetur. Videbis alarum excretionem iam exarticulatam, videbisque proprium colorem accipientes apes, circum sedentesque Regem, & aduolantes subtremensibus alis, propter insuetudinem aduolandi, & membrorum debilitatem: assident autem fenestras impetuosè impellentes, propter desiderium lucis. Sed præstat apertiones fenestrarum alternis diebus facere. Sed quia hæc à Virgilio elegantissimè descripta sunt, referre non pigebit.

*Exiguus primum, atque ipsos contractus ad vstra  
Eligitur locus: hanc angustique imbrice tecti,  
Parietibusque premunt arctis, & quatuor addunt,  
Quatuor à ventis obliqua luce fenestras,  
Tum vitulus bima curuans iam cornua fronte  
Quaritur: huic gemine hæres, & spiritus oris  
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto  
Tunsa per integram soluantur viscera pellem.  
Sic positum in clauso languunt, & ramesa costis  
Subiiciunt fragmenta thymum, castasque viuentes,  
Hoc geritur Zephyris primum impellentibus undas,  
Ante noxas rubeant, quam præta coloribus, ante  
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.*

*Interes*



*Interea teneris tepesfactus in effibus humor  
Æstuat, & visenda modis animalia miris,  
Trunca pedum primo: mox & stridentia pennis  
Miscuntur, tenuemq; magis, magis aera carpunt.*

Sed vt ex tenero, & nobili vitulo generantur optimæ apes, ita ex deterioris, viliorisq; carnibus animalis ignobiles apes generantur. Ob id tradit Ælianus, quod

*Vespæ ex equo generantur.*

Quando eius cadauer putrefactum est, ex huius putrescentis medulla euolant vespæ, nimirum volucrum progenies ex equo animali velocissimo. Ouidi<sup>9</sup> vespas, & crabrones vocat.

*Pressus humo bellator equus, crabronis origo est.*

Isidorus crabronem vocari à cabo, id est, caballo, quod ex eo creentur. Nascuntur etiam crabrones ex putridis equorū carnibus, Plinius, auctore Virgilio, ex equorū corpore exanimato, vespas, atque crabrones generari, mutante natura ex alijs quædam alia. Eodem modo

*Fuci ex mulis fiunt.*

Isidori autoritate, qui fucos ex mulo generari dixit, Fucus dictus, quod alienos labores edat, quasi fagos: depascitur enim quod non laborauit. Sed alij non fucos, sed locustas ex mulorum carnibus generari dixerunt. Tandem vilissimus omnium ex vilissimo animalium

*Scarabeus ex asino oritur.*

Plinius ex asinorum corporum corruptione scarabeos nasci scripsit. Isidorus ex velocibus canibus scarabeos generari, Ælianus scarabeorum natio foeminei sexus expers est, ideo in fimi pilam semen immittit, quam octo & viginti dierum spatio reuoluat, & calefaciat, deinde foetum procreat.

*De quibusdam auibus, quæ ex putrescentibus arborum fructibus generantur. CAP. III.*

**O**LAVS magnus in descriptione Septentrionalium Europæ regionum, circa Scotiam ex fructu arboris cuiusdam meminit quasdam aues enasci. Munsterus vero arbores viuere ait, quæ fructum folijs cōuolutum